



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De elocutione concionatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Duri certe obiurgandi sunt, & tractandi durius; at mitius, qui in pestifera viueti consuetudine non perfitunt.

Hoc docet idem sanctissimus Pontifex Gregorius exemplo gallij, qui, vt media nocte in arctissimo hominum somno rauce quodammodo canit, deinde sub aurofani suauis cantum emittit: ita concionator homines in peccatorum quasi somno grauissime dormientes obiurgationibus acerbis excitet; cum ijs vero, qui in via virtutis tanquam vigilantiores facti sunt, cohortationum suauitate alliciat ad omnem in recte sancteque agendo progressionem.

Neque praeterea concio diuersa erit, ab Euangelij quod eo die a populo auditum est, historia: quae si subministrat genus concionandi de poenitentia, non aliud concionator sumet, quod nullo modo conueniat cum illius diei Euangelica lectione: nisi aliquando a re proposita digrediendi materiam aliquis locus, aut occasio praebet.

De elocutione concionatoris.

Elocutionis genus exquisitum ne affeferet.

Fucum omnem fugiat.

Imperitae multitudinis consuetudinem loquendi ne sequatur: cum in ea sint multa absurda, multaque indigna concionantis grauitate.

Dicendi forma vtatur, cui per artem atque exercitationem par esse possit.

Verba antiqua, & peregrina fugiat.

Fati, fortune, infortunij nomina, aliaque id generis ab Ecclesiae vsu iam pridem explosa, omnino cauebit.

Epithetorum item nimium vsu, & poeticum dicendi genus ne consecetur.

Anicularum non adhibeat prouerbia.

Inflata oratione ne vtatur, sed graui.

Exordiat moderato & temperato dicendi genere: in quo exordio vtentur similitudines, praesertim poetico more explicatae.

Vocabulorum frequentem synonymiam omnino caueat: nisi cum vnum altero significantius, aut magis proprium fuerit. Metaphoras, similitudines, & exempla a rebus maxime notis & insignibus sumat: nam deiecit maiestatem orationis,

qui a rebus humilibus similitudines frequenter trahit.

Viam illam dicendi vehementem & concitatam ne affectet importune: sed ijs preparationis vijs, quae supra demonstratae sunt, ad eam spiritus sancti ope atque auxilio feratur, vt auditoribus proficit.

Eiusdem rei repetitionem vitet, quoniam molesta est, & affectum restinguit: Cum de peccatis ad luxuriam pertinentibus agit, cautionem adhibeat, ne imprudens in obscena verba incidat.

Et videat in primis, ne loquendo turpes cogitationes iniiciat.

Exclamationes videat, quo loco adhibeat: ac raro quidem certe.

Adulationis verba omnino fugiat, cum de magistratibus, aut apud eos verba facit.

Ambitiosum dicendi genus caueat.

Splendidos titulos, & nomina adiuncta illustra, vt, serenissimus Dauid, plane reiiciet.

Honorifica tamen, breuique praefatione eos viros excipiet, quorum exempla proponit ad imitationem: id quod aliquos antiquos patres, praesertim Gregorium Nazianzenum facere animaduertimus. Verba ecclesiastica, & si minus elegantiae habent, ne dicere recuset: at profana, & noua repudiet omnino.

Apostolos, martyres, virgines, confessores, & qui caelesti gloria perfruuntur, sancti nomine semper appellet.

Dictionem vitet, quae indignationem, & fastidium parit, praesertim cum de incommodis suis loquitur.

Attentionem cum petit, ne arroganter faciat: ne se magna dicturum & admirabilia polliceatur.

Ne ambigue loquatur; vt eadem orationarium sensum possit asserre.

Ne concise item; vt auditores incerti sint, & animo pendeant.

Ne obscure; vt dictum facile percipi non queat.

De voce, & corporis motu.

De pronuntiatione, gestu, actione, ab antiquis rhetoribus permulta tradita sunt: quae exquisito quodam studio perinde consecrari, quasi in ijs ipsis bene concionandi finis positus sit, hoc longe alienum esse debet a concionatore verbi Dei: cum ij praesertim motus corporis